

contrahimusque viros. vix prima inceperat aestas,
 et pater Anchises dare fatis vela iubebat,
 litora cum patriae lacrimans portusque relinquo 10
 et campos, ubi Troia fuit; feror exsul in altum
 cum sociis natoque penatibus et magnis dis.

Terra procul vastis colitur Mavortia campis
 — Thraces arant — acri quondam regnata Lycurgo,
 hospitium antiquom Troiae sociique penates, 15
 dum fortuna fuit. feror huc et litore curvo
 moenia prima loco fatis ingressus iniquis
 Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.

Sacra Dioneae matri divisque ferebam
 auspiciis coeptorum operum, superoque nitentem 20
 caelicolum regi mactabam in litore taurum.
 forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo
 virgulta et densis hastilibus horrida myrtus.
 accessi viridemque ab humo convellere silvam
 conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras, 25
 horrendum et dictu video mirabile monstrum.
 nam quae prima solo ruptis radicibus arbor
 vellitur, huic atro liquontur sanguine guttae
 et terram tabo maculant. mihi frigidus horror
 membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis. 30
 rursus et alterius lentum convellere vimen
 insequor et causas penitus temptare latentis:
 ater et alterius sequitur de cortice sanguis.
 multa movens animo nymphas venerabar agrestis
 Gradivomque patrem, Geticis qui praesidet arvis, 35
 rite secundarent visus omenque levarent.
 tertia sed postquam maiore hastilia nisu
 adgredior genibusque adversae obluctor harenae,
 — eloquar an sileam? — gemitus lacrimabilis imo
 auditur tumulo, et vox reddita fertur ad auris: 40
 'quid miserum Aenea laceras? iam parce sepulto,
 parce pias scelerare manus. non me tibi Troia
 externum tulit aut cruor hic de stipite manat.
 heu fuge crudelis terras, fuge litus avarum;